



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 114. Cæsareo-Bavari adversus Gallos, & Vinarienses vario Marte pugnantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

copiis in Hassiam irrumpere iussit, qui Sæc. XVII.  
 etiam variis urbibus captis trans Visurgin A.C. 1649.  
 victricia arma sua protendere statuit,  
 paulopost tamen ab hoste repulsus.  
 Haud multo post Bredanus Cæsaris Tri-  
 bunus prope Zwickaviam Wittenber-  
 gium Sueciæ Tribunalum cum novem  
 legionibus profligavit. Interim vero  
 Raufenbergius Guelferbyti Guber-  
 nator Steinbrucum nobile firmumque  
 præsidium expugnavit, quod tamen  
 Luneburgicus Dux arcta mox obsidione  
 pressit. Tanta ibi erat Bavarorum in  
 propugnando pertinax fortitudo, ut  
 tectis pene omnibus vi tormentorum di-  
 rutis, ac militum civiumque potissimis  
 inedia jamjam consumptis, de deditio-  
 ne nequidem cogitassent, nisi suppæti-  
 am spe frustrati non animo, sed viri-  
 bus defecissent: hujus quoque urbis  
 jacturam mox Luneburgi deditio, &  
 Guelferbytanæ urbis obsidio sequebatur.

§. CXIV.

*Cæsareo - Bavari adversus Gallos, &  
 Vinarienses vario Marte  
 pugnantes.*

Interim Vinarienses, Longavillæo Du- Adler. An-  
 ce, cunctas ferme urbes ad Rhenum nal. Boic.  
 fitas deprædationibus, incendiis, im- p. 3. lib. 25.  
 modicisque exactionibus misere deva- num. 11.  
 starunt, Pufend. l. 12.  
derob. Suec.

A a 2

Sæc. XVII. starunt, Cæsareisque præsiis in Weteravia ex Fridberga & Braunfelsa e-  
 A. C. 1640. jectis potius armentis, civiumque bonis, quam hosti bellum intulisse videbantur: Nec ad hæc violentias otiosi substitere Bavari; hi enim occupatis Altzheia, & Baccaro, cuncta ferme oppida Mosellam inter & Rhenum sita, quæ antea Vinarienses invaserant, recuperarunt, Bambergerus quoque Philippopolis Gubernator iterata excursione ingentem hosti cladem intulit: magis prospera fors arridebat Vinariensibus, dum ab Hochenvillanæ arcis obsidione Bavaros propellunt, multisque trucidatis, & captis non paucis, atque inter eos ipso Alberto Fürstenbergio arcem expugnant. Hanc tamen cladem paulopost ulciscabantur Bavaro-Cæsarei, dum in Weteravia Gallo-Vinarienses semisopitos inopina vi opprimunt, captaque Ursella urbe, & Epsteinia arce Suecis, quicquid Mensle Maio in Hassia occupaverant, adimunt, atque Amœneburgum & Fridbergam recuperant, quin tamen hæc ipsa armorum felicitas omnino incruenta esset; iterata enim impressione prope Zigenheimium Cæsarei fusi, fugatique fuere. Hanc cladem nonnihil reparabant Bavari, qui Coburgo, Hiltpurghusio, Meinunga, aliisque oppidis Sueco ereptis,

reptis, Bobenhufii & Eichsfeldiæ quas-  
 dam Vinariensium legiones internecio-  
 ne deleverant, capto etiam Echar-  
 do Tribuno, Vigiliarum Præfecto, mul-  
 tisque gregariis: Nec interim Saxones  
 a bellico labore feriabantur; quippe ad  
 Lipsiam prope Pagum Machavium inita  
 pugna Königsmarchium, qui ex Bohe-  
 mia redux plura Saxonix oppida ex-  
 actionibus exhauserat, magna clade  
 protriverunt, necnon Mauritanam ar-  
 cem capto illius Præfecto & præsidia-  
 riis cum ingenti præda recuperarunt,  
 ac paulopost Cæsareis adjuti, Chem-  
 nitzium quoque & Zwickaviam rece-  
 pere, quadringentis Suecis ad deditio-  
 nem coactis. Nec magis prospero Marte  
 Sueci in Silesia dimicabant, quamvis  
 enim Wolaviam intercepissent, Cæsa-  
 rei tamen Hernstadium, Jauram & Stri-  
 gaviam eis eripuerunt, ipsamque Hirs-  
 bergam expugnassent, nisi Stalhant-  
 sciis opportune suppetias tulisset.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1640.

§. CXV.

*Gallici exercitus gesta in Italia & Bel-  
 gio contra Hispanos.*

Hoc item anno Hispani ad Rhenum  
 die tertia Februarii variis oppidis  
 feliciter expugnatis extremos adhibuere  
 conatus, ut Brisaccum Gallis eriperent:

*Jäger. Hist.  
 Eccl. lib. 10.  
 cap. 2.  
 Nani Hist.  
 Venet. l. II.  
 Buffier. Hist.  
 lib. 24.*

A a 3 verum